Quelle: https://manuscripta.at/?ID=956
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

huic metus torserunt. Nam cum in finitimo arce coniugis Thebes
teneret ad eandem ex epulis in cubiculum veniens barbarum compunctum
notis Thraciis stricto gladio iubebat anteire nec prius se idem lecto
committebat quam a stipatoribus diligenter esset scrutatum. O supplicium
irato deorum numine compositum neque libidini neque timori posse impe-
rare. Cuius timoris eadem et causa et finis fuit. Alexandrum enim
Thebe pellicatus ira mota interemit. Age Dionisius Syracu-
XIIII sanorum tyrannus huiusce tormenti quam longa fabula. Qui in duodequa-
draginta annorum dominatu in hunc modum peregit. Submotis amicis
in eorum locum ferocissimarum gentium homines et a familiis locuple-
tum electos prevalidos servos quibus latera sua committeret substituit.
Tonsorum quoque metu tondere filias suas docuit. Quarum ipsarum postquam
adulte etati appropinquabant manibus ferrum non audens commit-
tere instituit ut candentium iuglandium putaminibus bar-
bam sibi et capillum adurerent. Nec securiorem maritum egit quam
patrem. Duarum enim eodem tempore Aristomachis Syracusane et Locrensis
Doridis matrimoniis alligatus neutrius unquam nisi excussus am-
plexum petiit. Atque etiam cubicularem lectum perinde quasi castra lata
fossa cinxit in quem se ligneo ponte recipiebat cum fores cubi-
culi extrinsecus a custodibus opertas interiore claustro ipse diligenter
obserasset.

De similitudine faciei. Capitulum XV.

De similitudine faciei capitulum xv

De similitudine autem oris et totius corporis altiore doctrina